

opiniones Platonis: & esse Academici ac Peripatetici. Nam Plato Socratis discipulus perfectissimam disciplinam reliquit Academicorum & Peripateticorum: a quibus stoici magis uerbis quam sententiis dissenserunt. Nam a Platone una & consentiens: ut idem Cicero ait: in libello de philosophia: duobus uocabulis philosophiae forma instituta est: Academicorum & Peripateticorum: qui rebus congruentes nominibus differebant. quippe cum Speusippum sororis filium Plato philosophiae quasi heredem reliquisset: Duos uero praestantissimos studio ac doctrina Xenocrate Calcedoniam & Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele. Peripatetici dicti sunt: quia disputabant in ambulantes in Lycio gymnasio: Speusippus autem & Xenocrates: qui primi Platonis rationem auctoritatemque susceperunt & post eos Polemo & Crates unaque

De rebus ipsis utere tuo iudicio: nihil enim impedit orationem aut latinam efficies profecto legedis nostris pleniorē. Nec uero

1. copioso

Crator in academia congregati alio gymnasio ab Academo quodam heroe denotato: ut scribit Laer. Academici appellati sunt: sed communis erat ratio bonorum & malorum inter utrosque. Nam omnis illa aequum philosophia sensit in una uirtute positam esse beatam uitam: non tamen beatissimam: nisi adiungerent bona corporis & fortunam ad uirtutis usum idonea. Stoici bona corporis pro se assumenda esse dicebant: sed non adiungebant ad finem bonorum. Vnde cum parua esset inter ipsos differentia: dicit uolumus esse socratici & platonici. Et sic respondet tacitae obiectioni: potuisset enim dicere filius: non sunt mihi legenda praeterquam scribis in philosophia: cum stoicos imiteris & praceptor meus peripateticus sit: ideo dicit non multum differre. est tamen aliquid differentia: ut postea latius patebit. Via est praceptionis & doctrinae fere eadem est. Stoici dant praecipua de officiis: quibus hominem ad uirtutem instituunt & felicitatem officiumque perfectum: quod non est positum in praecipuis: sed pertinet ad finem bonorum. In officio enim perfecto: quod omnes numeros habet & in solum sapientem cadit: finis bonorum consistit: & humana felicitas. Istud perfectum officium appellat a stoicis honestum: officia uero quae cadunt sub praecipuis media appellantur: de quibus potest reddi certa ratio: ut sunt haec quae Cicero tractat. hoc idem faciunt Peripatetici: quis utatur aliis nominibus Aristoteles enim peripateticorum princeps: dicit summum bonum humanum consistere in actione uirtutis in uita perfecta: actiones autem officia sunt. officium enim nihil aliud quam actio cum uirtute. & cum dicit in uita perfecta: ostendit non in quacunque actione licet studiosa: sed in illa quae ab habitu uirtutis perficitur: summum bonum consistere. Vnde enim Hyrudo inquit non facit uerum: sic una actio cum uirtute non facit hominem felicem: hunc uirtutis habitum & perfectam actionem stoici appellant honestum: ergo potius nominibus differunt quam ordine & uia praceptionis. Volunt enim stoici mediis officiis perueniri ad illud honestum: quod ipsi appellant & peripatetici dicunt studiosis actionibus perueniri ad uirtutem: cui stoici nomen imposuerunt honestum. actiones uero studiosas appellant officia. Dicit igitur Cicero. poteris uti dogmate & praecipuis horum philosophorum: ut tibi uidebitur: quod in uirtute summum bonum constituerunt cuiuscunque sectae adhaeris mihi placebit: & quodcumque dogma sectaberis gratum erit: quoniam utrique uolumus tenere opiniones Socratis & Platonis: quod de summo bono optime senserunt. Cauendum est tibi inquit ab aliis: qui in fine constituendo errauerunt. ergo cum inter has tres philosophorum disciplinas nulla fere differentia sit: de ipsis opinionibus utere iudicio tuo. id est poteris sequi id quod tibi uidebitur: modo non discedas ab academicis peripateticis: & stoicis. In tertio libro ita filium alloquitur: Sic ego a te postulo: ut mihi concedas: si potes. nihil praeter id quod honestum sit esse pro se expetendum sine hoc non licet pro Cratippo: at illud certe dabis: quod honestum sit id esse pro se: maxime expetendum: mihi utrumque uis satis est: & tamen hoc: tamen illud probabilius uidetur: nec praeterea quicquam probabile. Claret igitur esse Cicero uoluisse esse uniuersalem in philosophia: ne calicui sectae addictus: sed utrumque dogma probasse: nec laborasse filium ad aliquam disciplinam ita tradere ut alias reiceret. permisit enim illius iudicio uti opinionibus philosophantium: cum nulla fere inter ipsos differentia esset.

De rebus ipsis: opinionibus & dogmate philosophorum: non inquit te addicam alicui sectae. poteris uti iudicio tuo: & integre liberumque tibi est quod dogma sequi uelis. b. Utere: uteris: & sic beniuolentiam reddit filium. c. Orationem autem latinam: nunc filium hortatur: ut sua scripta legat: quibus orationem latinam poterit uberrimam facere: locus est ab utili. d. Legedis nostris: legedo nostra. sic apud Liuium: his audiendis crededisque. id est audiendo & credendo. e. Pleniorē: copiosiorē uberiorēque captat beniuolentiam a re ipsa & persona sua. f. Nec uero uult Cicero ostendere quare legedo sua filius: efficiet orationem latinam pleniorē: quoniam inquit in arte dicendi aetate consumpsi mea: ut iure possim mihi assumere quod proprium est oratoris: philosophiam concedo multis: me autem oratorem profiteor. Cicero enim auctore Fabio cum se ad imitationem graecorum contulisset. uel Demosthenis: copiam Platonis: & suauitatem Socratis effinxit. nec uero inquit quod in uno quoque optimum fuit consequutus est tantum sed plurima uel potius ex seipso uirtutes extulit immortalis ingenii felicissima ubertas.

Non enim: ut ait Pindarus aquas collegit: sed uiuo gurgite exundat dono quodam prouidentiae genitis in quo totas uires suas eloquentia experiretur. Platonem in primis admiratus est Cicero: & acumine sententiarum summa multiplicique doctrina & granditate